NICOLAI PARACCIANI CLARELLI CARDINALIS EPISCOPI...

Domenico Sartinio

NICOLAI PARACCIANI CLARELLI

CARDINALIS EPISCOPI TUSCULANI

ELOGIUM

AUCTORE CAN. DOMINICO SARTINIO
IN SEMINARIO FALISCODUNÉNSI
RHETORE

NICOLAI PARACCIANI CLARELLI

CARDINALIS EPISCOPI TUSCULANI

ELOGIUM

AUCTORE CAN. DOMINICO SARTINIO

IN SEMINARIO FALISCODUNENSI

RHETORE



FALISCODUNI

TYPIS SEMINARII AN. MDCCCLXXIII

Leonardio Officinatore

SALVATORI NOBILIO VITELLESCHIO

ARCHIEPISCOPO SELEVCIENSIVM
AB ACTIS SACRI CONSILII CAVSIS
EPISCOPORVM ET SODALIVM RELIGIOSORVM
IVDICANDIS
DOMINICVS SARTINI CAN.
IN SEMINARIO FALISCODVNEN. RHETOR
FELICITATEM

Nicolai Paracciani Clarelli Cardinalis, olim Episcopi nostri, elogium, quod in ejus parentalibus recitavi, Tibi, Antistes amplissime, inscribo. Ego certe non fas esse ducebam argumentum per se quidem nobile, sed scriptoris tenuitate minus affabre elaboratum Tibi deferri, in quo summa sunt omnia, sive genus spectem ab avis et majoribus clarum, sive gradum splendidissimum quem obtines, sive munera, quae tot annos in Urbe recte sapienterque gessisti, et geris. Sed cessi, ac potius parui meorum collegarum consilio et hortatui, qui publici juris esse voluerunt laudes amantissimi Episcopi, cujus apud nos perennis extabit memoria et gratia.

Quamobrem paginulas hasce, quanticumque ipsae sint, haud ingratas tibi fore confido, quum in iis de ejus viri vita agatur, quem tu perpetuo amasti, quique te ita redamavit, ut non solum ob propinquam cognationem, sed etiam ob fidem spectatam jam et diu cognitam hereditatis suae curatorem testamento reliquerit.

Narrationem profecto non exaggeratam, nec ementitis tinctam coloribus reperies, sed simplicem nudamque veritatem, cui me unice studuisse profiteor. Deus te fortunet. Vale.

Ea est, Auditores, naturae lex, ac pene dicam instinctus, ut debita lacrima, et laudatione, eorum memoriam prosequamur, qui e vivis excesserunt, posteaquam aliorum amorem et reverentiam virtute et benefactis sibi promeruerint. Sed quum hujusmodi caritatis officia piis eorum manibus persolvimus, a magno animi dolore temperare non possumus. Siquidem recordatio virtutum, quibus prae ceteris excelluerunt, facit, ut altius intelligamus, acerbiusque sentiamus quanta in eorum funere jactura facta sit. Quamobrem summorum virorum virtutem sublatam ex oculis aegre ferentes naturae jura frangere, atque inani desiderio demortuos, si fieri posset, excitare vellemus. Quod, hodierno die, nobis acci-

dit, qui Nicolao Parracciano Clarellio Cardinali de nobis de Ecclesia nostra optime merito rite parentamus. Quis enim praeconceptum de morte ejus dolorem potest vultu tegere, et diutius taciturnitate celare ? Occidit ille, qui decem annos nostram et cornetanam dioecesim ita consilio suo direxit, ac fovit, ut nihil esset, quod a nobis vel majus vel praeclarius desideraretur. Habuimus enim (haud longinqua commemoro) non modo pastorem, sed et parentem, cujus lateri animi integritas religio et fides, velut percusso foedere, administrae comitesque adhaesere,ut partes omnes benevolentissimi pastoris abunde expleverit. Itaque, ut demandato fungar officio, ejus virtutes laudesque summatim percurram. Non omnia, quae ad ejus vitam, mores, res gestas pertinent singillatim,sed potiora, ut ita dicam, capita attingam, geometrae in morem, qui brevibus signis amplitudinem terrae vel maximam peropportune comprehendit.

Nicolaus Paraccianus Clarellius originem Reate duxit ex piissima, nobilissimaque propagine. Ne expectetis, Auditores, longam a me de pueritia ejus narrationem, propterea quod optime nostis, nihil esse si paucos excipiatis, in puerorum infantia dignum, quod commendetur. Hominem enim oportet aestimari non quanti est, quum e naturae manibus in lucem prodit, sed quanti est quum aetate ingenioque valentior societatis limen intravit. Quum igitur de viro hoc dicturus sim, non eos imitabor (laudatores ne dicam an assentatores?) qui de puero faciunt heroem, et in

illo, quem laudandum susceperunt, ad libidinem fingunt ea, quae in rerum natura perraro esse possunt. Nihil est in Nicolai nostri pueritia, quod commune non sit cum aliis, nisi quod ipsi sortito obtigit parentes habere custodes tum pietate, tum nobilitate conspicuos, qui improvidos exorientis naturae motus primulasque cogitationes ad rectum fingerent. Domus Clarelliana Reate Romam immigravit. Nicolaus Romae christianis praeceptis primisque litterarum elementis eruditus Liceum Romanum celebravit ea sedulitate, ut condiscipulis exemplo propter integros mores, magistris propter diligentiam celeresque progressus in deliciis esset. Ibi per aliquot annos liberales disciplinas apprime edoctus ad majora perrexit, scilicet ad Liceum Leonianum, ubi sacrae Theologiae civilis sanctiorisque juris curriculum cum laude absolvit. Interea loci cum sacris initiari exoptaret, Sacerdotali ministerio quasi praelusurus pueris infimae plebis christiana doctrina erudiendis sedulam navabat operam, eaque de causa ad sodales philippianos assidue ventitabat.

Pius VII Pontifex Maximus, cui jam innotuerat hominis peradolescentis et morum integritas, et animi moderatio, licet quintum adhuc lustrum non explesset, Ulyssiponem misit ad insignia dignitatis Patriarchae Cardinali novensili deferenda. Lusitaniae Rex illectus egregia indole, et praeclaris animi dotibus, quae in adolescente effulgebant, Christi equitem dixit magna cruce, pensione regio ex aerario as-

signata, voluntatis suae in eum, et reverentiae erga sedem Apostolicam testimonium.

Ex tam honorifica expeditione reversus quum Pontificis et voluntati et desiderio ad plenum satisfecisset, canonicatu vaticano auctus fuit. Ibi propter bonam opinionem, quam merito sibi compararat, non tantum judex, sed etiam curator templi et operum vaticanorum a collegis electus est. Per interregnum vero, quum patres Cardinales, deliberarent qui potissimum ad Bononiensem provinciam prolegatus mittendus esset, unanimi consensione Nicolaum mittendum censuerunt. In summa rerum difficultate, licet invitus, Bononiam profectus est, ubi repente e vestigio vaferrima exarsit seditio, quam non sine animi dolore recordamur, quae principatum civilem Romani Pontificis in summum discrimen vocabat. In illo rerum aestu, in illa animorum perturbatione, trepidantibus omnibus bonis, civitate tota metu perculsa, ac prope suis convulsa sedibus, fecit id Nicolaus noster, quod quisque prudens tali in re facere debuisset.

Romam regressus est, Gregorio XVI Pontifice renunciato. Ibi sueta capessivit munia. Deinde Tabularii praefectus dictus est. Non longo post tempore idem sapientissimus Pontifex sacro Consilio criminibus supremo judicio vindicandis, et sanitati tuendae illum praefecit. Dici vix potest quanta alacritate, quantoque studio onus illud, licet odiosum, per tres annos exercuerit. Omnia enim indole sua, quae erat mitissim

ita moderabatur, ut nemo per injuriam se laesum dixerit.

Quid mirum igitur si ex tot tantisque rebus graviter sapienterque gestis tam mature Gregorius XVI Cardinalem dixerit, Faliscodunensium et Cornetanorum Episcopum fecerit, suisque manibus consecraverit? Qui honos nisi nobilissimis viris, et de Sede Apostolica benemeritissimis a pontificibus maximis concedi non solet. Hoc cum utrique civitati nuntiatum fuit, legati Romam missi sunt, ut duplicem honorem Nicolao gratularentur, et Pontifici Maximo, ut par erat, gratias agerent vel maximas.

Vos non ignoratis quo plausu, quibus carminibus, qua omnium ordinum alacritate is fuerit ceptus. Cives universi certatim in illum, velut in ..dus amicum, intuebantur. Nec eos praeconcepta fefellit opinio. Tanta enim in illo Religionis et fidei fuit constantia, ut eam aliorum mentibus strenue instillandam curaverit. Quocirca pluries Dioecesim pro potestate praesens invisit non otiose cunctando, sed omnia prudenter investigando diligenterque explorando quae doctrina, qui mores essent populi, et siquid esset praeposterum, emendando.

Per ea tempora ad Pontificem Maximum creandum vocatus (quae res patrum Cardinalium officium est vel nobilissimum) eo animo discessit, qualem rei gravitas postularet. Ut pastor providentissimus redivit ad suos, cum probe nosceret Religionem pietatemque populi sacricolarum Religione et pietate in

majus provehi, omnem curam cogitationemque eo contulit, ut sacerdotum pietas magis in dies augeretur. Quam ob rem providum ejus consilium merito suspicietis, qui libellum impensa sua formis imprimendum curavit, in quo quanta sit sacerdotum dignitas, quae vitae ratio, qui mores, aperte declaratur. Praeterea suarum esse partium duxit, ut propria Sanctorum officia, quae antea dispersa perlegebantur, uno volumine in vulgus digesta prodirent. Ita sacricolis quo impensius suis muneribus fungerentur, adjumenta quae potuit, suppeditavit, nec quemquam ad dignitatis gradus promovit nisi pietate et assidua studiorum contentione sibi dignus visus esset.

Seminarii Alumnos eo dilexit affectu, ut prudenti severitati caritatem adjungeret. Doctores carissimos habuit, amplissimisque etiam praemiis donavit. Ab omni novitate abhorruit, nec latum quidem unguem ab institutis discessit, quae a Decessoribus suis sapienter fuere transmissa.

Nec minorem populi sibi commissi curam habuit. Nonne enim pios exercitores saepe adhibuit, qui praeceptis et doctrinis e vitiorum coeno plebem eriperent, et ad vitae sanctitatem inflammarent? Nonne sodales a Jesu passione sedulo arcessivit, qui ad virtutem confirmandam augendamque per statos dies studium omne operamque conferrent? At quum animorum saluti tantopere studeret, non ea negligebat, quae ad praesentis vitae commoda pertinere intelligeret. Nulli vel pauperi, vel aegrotanti defuit. Sunt plures non infima de gente na-

ti, qui supplices praetereuntibus manus tendere verentur. Atqui ingeniosa ejus pietas insperatum latura subsidium inopiam prae pudore latitantem invisebat, consolabatur.

Sed quaeso, auditores, hanc mihi veniam date, ut illud quoque beneficium commemorem, cui licet in tanta rerum ab eo gestarum magnitudine vix locus relinquatur, tamen ad populi commoditates augendas plurimum valuit. Illud dico, eum impetrasse, ut quotidianus tabellariorum cursus esset, et dioecesis tabellarii huc ad deportandas exportandasque litteras convenirent.

Interim scelerosi homines caecos moliebantur motus, qui in tempore debebant erumpere. Cornetum adiit, ut nostrorum Episcoporum moris erat. Aliquot post dies non sine strepitibus clamoribusque, qui sidera ferire videbantur, flagitiosorum hominum greges ex alienis conflati per civitatem lymphata mente ferebantur. Quum Cardinali nuntiatum fuit, aedes Episcopales a perduellibus circumventas et obsessas teneri, eosque ei vincula minitari, ille, Deo adjuvante, et amicorum praesidio ex eorum manibus clanculum effugit, et ad centumcellenses oras sese recepit. Ascendit illico navem, et dum cursu pelagio Cajetam properaret, quo Pius IX Pontifex Maximus, ne sui faceret potestatem, jam confugerat, vehementissimis ventorum flabris mare turbantibus, ea exorta est procella, ut navis hac illac im periosis jactata fluctibus pene teneretur oppressa.

Quod periculum cum incolumis evasisset, idque divinitus factum esse judicasset, Nicolao Tolentinati Clarellianae domus patrono retulit acceptum. Ex quo major illius erga caelestem patronum amor exarsit, ut etiam in hac sacra aede supplicationem quotannis per dies septenos faciendam instituerit. Cajetae mansit, donec Pontifici per Gallorum arma Romam iter patefactum est, et Regni habenae redditae.

Nicolaus, commeatu a Pontifice impetrato, Faliscodunum postliminio sese restituit, ubi rebus in speciem tranquillatis, ea usus est pace, quam antea frustra desiderarat. Non multo post, aerumnis, periculis, curisque confectus coepit ex renibus laborare ita, ut ne pedem quidem e cubiculo nisi aliena manu baculove suffultus egredi posset. Medici, consiliis mutuo collatis, clementiorem aeris aspirationem necessariam esse existimarunt, donec curatio rediret ad sanitatem. Itaque medentum jussis sine cunctatione paruit Romam profectus.

Hoc in tempore Pius IX, ut Centumcellensis dioecesis commodiori procurationi consuleret, Cornetanam dioecesim Centumcellensi consociandam decrevit, eumque Episcopatu deoneravit. Quam rem Cardinalis ipse litteris ad ordinem Canonicorum IX Calendas Iulias datis, et in acta ejusdem ordinis relatis, significavit, illud addens, se perennem hujus dioecesis memoriam servaturum, et omni qua posset ope adjuturum. Obligatam fidem religiose liberavit. Nostrates enim et dioecesis nostrae incolas, qui ab eo vel favorem, vel opem

postularunt, omnes voti compotes factos fuisse, quem vestrum praeterit? Rogatus, Virginum Benedictinarum collegium in suam clientelam recepit, et ad instaurandam mensam pigneratitiam sacrilego infandoque latrocinio compilatam, non exiguam pecuniae vim misit ad Aloisium Iona Episcopum, quem pietatis atque honoris causa nomino.

Subinde Pontifex quum Nicolai propiore ad se accessu dotes, et eximias animi virtutes introspexisset, occasione sibi opportune oblata, Nicolao rei subsidiariae magisterium credendum judicavit. Onus sollicitudinis taediique plenum, moleste non tulit, quod caritatis ministerium sibi exercendum videret. Quasi uno eodemque tempore onus non minus grave, et impeditum Pontifex illi imposuit, scilicet ut gymnasium surdorum ab origine regendum susciperet. In eum locum Nicolaus id studii, curaeque impendit, ut singulas res in melius provexerit, leges magis ad tempus opportunas praescripserit, victum copiosiorem mundioremque reddiderit, studiorum et artium scholas rectius ordinaverit, ut alumnis, qui illiberalis naturae vitium molestiamque sentiebant, pia praesto esset dextera, quae triste aliquo modo levaret incommodum.

At Pontifex sapientissimus tantam illius praesertim in rebus agendis sagacitatem, et prudentiam exiguis sane finibus circumscribi non tulit, eumque Consilio episcoporum, et sodalium Religiosorum causis judicandis praefecit. Quod munus propter rerum multitudinem, et varietatem salebrosum sane, et perdif-

ficile tres annos sic exercuit, ut quaestiones celeriter expediendo, omnium jura sarta tecta servando, singulis ordinibus sese maxime probaverit.

Summus Pontifex quum tempus jam adesse videret, ut ornamenta vel maxima Nicolao ob plurima in sedem Apostolicam merita conferret, non modo Archipresbiteratu vaticano, sed et ordinum equestrium pontificiorum Summo Magisterio honestavit, eumque sibi a diplomatis esse voluit. Sed provida Dei mens eum ad altiora destinarat. Nam Episcopatum Tusculanum a Pio IX oblatum accepit, quum tanti Pontificis voluntati obluctari nefas esse intelligeret. Tunc appellationem Petri ad vincula in Exquiliis non sine aliquo animi moerore reliquit, quam ita diligebat, ut inter multa donaria sex candelabris, quae altaris maximi usui essent, urnaque ex aere inaurato sacris Petri vinculis decentius commodiusque asservandis auxerit, atque ditaverit. Tusculum petiit novam honoris sui sedem. Quum vero perspexisset civium ex cunctis ordinibus voluntates in se maxime propensas, non mediocrem cepit animo consolationem, atque ea de re pontificatus onus lenius fieri sibi gratulatus est.

Verum ubi ex improviso Romam alienis armis obsessam et oppressam vidit, Pontificemque in vaticanis aedibus captivum, communi dolori singularem illum suum consociare coactus fuit, quem hic juvat celare, et silentio praeterire. Itaque morbus, qui aliquot jam annis furtim ejus viscera permeabat, acer-

bius recrudescens, medentumque artem eludens fregit tandem initam senectutem.

Mortem pie sancteque obiit Vico Equensi, quo se ad aquas contulerat.

Ceterum vir fuit animo prudenti, pio, officioso, et ad bene merendum de omnibus comparato. Benevolus erga omnes, et potissime erga illos quocumque nomine sibi addictos, quibus moriens amoris sui pignus reliquit. Horum in numero nos fuisse gloriamur, qui illius beneficentiam singularem in modum sensimus.

Haec habui, quae dicerem de viro tam eximio, et tot, tantisque animi dotibus exornato. Reliquum est, uti vos, auditores, qui pietatis causa ad sacrum expiationis huc frequenter convenistis, illius tam publicarum, quam domesticarum virtutum exempla imitemini, quorum imaginem vestris animis, vestrisque mentibus, quantum potui, exhibendam curavi.

Et tu, Nicolae, vive in Deo. Spes enim nostra Te caelo receptum jam intuetur hujus vitae periculis, aerumnis, laboribusque defunctum. Tu, cujus mortalem vitam sancto exitu terminatam vidimus, ne graveris nostri meminisse, qui in tanta tempestate, quantam nulla vidit aetas, versamur. Precibus age tuis, ut grex quondam tuus in tam gravi animorum cupiditatumque conflictu tutum iter teneat, Teque modo patronum sentiat, quem olim parentem amantissimum expertus est.

17

FALISCODUNI
TYPIS SEMINARII AN. MDCCCLXXIII
Leonardio Officinatore